



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 419. An dominus directus possit fructus feudi à se collati, & dein sibi à vasallo oppignorari percipere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

meratos ab Host. apud eundem Clar. *num. 2.* eò quòd impositio hæc sit de regalibus, & sic referata supremo Principi in signum superioritatis. Etsi etiam id possint supremi Principes, non tamen neque hi neque isti videntur propriè tales, seu recognoscences ab iis feuda quà tales seu titulo feudi, (quales non sunt omnes ex eo, quòd sint eorum subditi; quia non omnes habent ab iis dominium aliquod utile eum commoditate percipiendi exinde fructus; etsi quandoque hæc nomina vasalli & subditi confundantur,) sed solùm quatenus subjectos supremæ eorum jurisdictioni. Quamvis etiam nihil obstare videatur, quò minus Barones similesque domini in ipsa constitutione seu collatione feudi vasallos propriè tales obstringere possint ad similes collectas in certis casibus præstandas.

Quæst. 419. An dominus directus possit fructus feudi à se collati, & dein sibi à vasallo oppignorati percipere?

Resp. Potest dominus directus, sive is sit ecclesia vel monasterium, sive sit laicus, percipere fructus feudi sibi oppignorati à vasallo, sive is sit ecclesia, sive laicus, si interea is liberetur à servitiis præstandis, quæ aliis ei deberentur. Non tamen potest eas tunc computare in sortem, ita ut summa ex credito debita, ob quam facta oppignoratio, pro rata fructuum perciporum decrescat, vel etiam totum debitum extinguatur, si fructus sortem adæquent. Et quidem prius, dum ecclesia est domina directa, constat ex *c. 1. h. t.* de hæc & domino directo laico indistinctè ob paritatem rationis id tenent Covar. *l. 2. var. c. 1. n. 4.* Molin. *tr. 2. de 7. & 7. d. 323. num. 2.* Canil. *de usur. c. 6. num. 4.* Caspal. *tr. 32. d. 4. p. 22. num. 3.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 56.* item Pirh. *h. t. num. 20.* quia si id licitum, & non continet usuram in feudo ecclesiastico, multò magis id licitum erit in feudo laicali, seu dum dominus directus est laicus. Neque enim dici potest cum Gl. *in cit. c. 1. v. immunitis.* Sic specialiter constitutum in favorem ecclesiæ, & hanc constitutionem continere privilegium datum ecclesiæ: quia, cum usura sint prohibita jure naturali & divino, non potest lex positiva super illis dare privilegium, seu dispensare in hoc potius cum ecclesia quàm laico; præsertim cum usura magis detestanda sit in ecclesiasticis quàm laicis; ita Pirh. *loc. cit.* cum Fagn. *in cit. c. 1. n. 4. & seq.* Sed neque in hoc discrimen faciendum; an fructus excedant, an adæquent, vel non adæquent servitia; cum *cit. c. 1.* absque distinctione dicatur, fructus non esse computandos in sortem in casu, ubi vasallus liberatur à servitiis. Ratione etiam hujus petita ex conditione feudi, quòd cum ab initio gratis datum, ut fructus quantumcunque amplos vasallus percipiat, si servitia præstet, & nullos percipiat, si nulla præstet servitia, hi quantumcunque sint, à domino feudum sibi oppignoratum detinente sine injuria vasalli ex vi primæ institutionis feudi seu contractus percipi poterunt, dum nulla ab eo præstantur servitia. Ita tenent Abb. *in c. conquestus. de usur. num. 2.* Barbof. *in c. 1. h. t. num. 2.* Zoëf. *ad hanc. rub. n. 6.* Pirh. *h. t. n. 19. in fine.* Wiestn. *cit. n. 56.* Quemadmodum etiam ex hac feudi natura sumitur, quòd hæc perceptio fructuum, etiam excedentium servitia, non sit usura: dum nimirum ex natura feudi consequitur, quòd sicut æquum est, ut vasallus, quamdiu sine sua

culpa, & consensu domini feudo seu potius perceptione fructuum caret, sit immunitis ab obsequiis; ita etiam vicissim iniquum non sit, quòd dum re feudali ex ipsius voluntate existente penes dominum oppignorantem, immunitis est à servitiis illis, fructus non percipiat. De cætero ex his à contrario patet, perceptionem fructuum ex pignore dato ob mutuam pecuniam fore usurariam, dum hi qualescunque percipiuntur, & tamen etiam præstarentur servitia consueta, si fructus non computarentur in sortem; uti eos computari posse in sortem, si simul præstentur servitia, deducitur ex *cit. c. 1.* dum ibi dicitur, non teneri Episcopum eos computare in sortem. Dum autem Pirh. *cit. n. 20.* ait, quòd in feudo emptio, seu pecuniâ comparato illa perceptio fructuum, si non computetur in sortem, excusari non possit ab usura, intelligendum illum velle: etiam si servitia non præstarentur; quia aliàs nihil peculiare diceret; cum etiam in aliis feudis non emptitiis juxta dicta sit usurarium, si præstitis obsequiis non computentur in sortem percepti fructus. Uti etiam intelligendus venit, dum addit, quòd si feudum curâ & industriâ vasalli redditum fructuosius, quàm fuerat tempore primæ investituræ, æquitatis ratio suadet, ut dominus directus loco pignoris id detinens, non lucretur fructus integros illius, sed tantum eos, qui ex illo percipiuntur tempore, quò primò constitutum; excessus verò reliquorum fructuum vasallo cedat, nimirum etiam, ubi nulla obsequia præstat.

Quæst. 420. Ad que è contra dominus obligetur vasallo ratione feudi?

Resp. Hæc ferè sunt sequentia. Primò tenetur dominus præstito sibi à vasallo fidelitatis jramento, eundem illico mittere in possessionem; & si in hoc moram fecerit, omnem utilitatem, quam interea habuisset vasallus, eidem præstare juxta clarum textum *l. 2. tit. 7.* & quòd si intra debitum tempus negaverit investituram, privari illum proprietate feudi, etsi dicant Guido Papa & Barbof. testantes de communi apud Clar. *loc. cit. quæst. 49. num. 7.* is tamen id videri nimis rigorosum ait; præsertim cum pœna privationis secundum regulas communes non debeat imponi nisi in casibus in jure expressis. Secundò si in re aliena eum investivit, sive scienter, sive ignoranter, præstare ei evictionem, *l. 2. tit. 8.* modo vasallus post motam litem, ut se defendat, debitè monuerit, *l. 2. tit. 25.* ipseque vasallus tempore investituræ nesciverit, feudum sibi conferendum esse rem alienam, *cit. tit. 25. & 8.* ubi: qui rei alienæ sciens investituram acceperit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit. Tertio debet reciprocè fidelitatem, (non tamen juratam, cum id in nullo jure cautum reperitur. Clar. *l. c. qu. 70.* dicens sic totum mundum servare,) juxta quòd dicitur, *c. 18. caus. 22. qu. 5.* dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet, quòd si non fecerit, censetur malè fidus. Quarto tenetur vasallum defendere sicut vasallus dominum & adjuvare etiam contra patrem, filium & fratrem suum. Clar. *quæst. 27.* cum Decio *conf. 469. n. 4.* & aliis. Quintò debet facere vasallo justitiam, & si id non fecerit, privari illum proprietate feudi ait Clar. *quæst. 68.* cum Belvisio.

Quæst. 421. Quale jus competat vasallo ratione feudi?

Respond. Jus hoc consistere præcipuè in domini utili, quòd vasallus habet in re sibi in feudum con-